

Ἡφαῖτος Βιβλίον λεζεγοῦ
Vulcanus Musis inimicus.

ie.

Dissertatio Historica
de

LIBRIS ET BIBLIOTHECIS
IGNE ABSUMTIS

Programmatis loco,

quo ad

Encaenia Scholastica

die 30 O^r. A. O. R. 1711. habenda

PATRONI & Fautores studiorum

invitantur,

Una cum

CENTONE VIRGILIANO


de incendio Nordhusano

P. P.

JOH. JOACH. MEIERO. R.



Northus, prel. Coeler.



HU MANA GUNCTA FUMUS, UMBRA.
VANITAS
ET SCENAE IMAGO, UT ABSOLVAM BREVI,
NIHIL.

 Os Jambos, quos in cenotaphio Iusti Lipsii legite statut^r Emanuel Thesaurus, (a) à veritate non esse alienos, tot seculorum constat experientia, tot universæ naturæ exemplis & repentino rerum humanarum interitu docemur. Ut taceam alia omnia, temporis videlicet injuriam, vetustatis in excedendis operibus violentiam, tempestates, terræ motus, eluviones, bella, quorum impetu urbēs celeberrimæ deletæ, & regiones quondam florentissimæ incolis exhaustæ sunt; quis est, cui non perspicuum sit, nihil inter homines arte factum manuque structum esse, quod non insatiabili stanniarum violentia labefactari, deformari, et in cineres redigi possit. Immensa foret oratio, et uteremur in re non dubia testibus non necessariis, si ex historiarum monumentis omnes urbium opulentissimarum clades, quas ipsis incendia pepererunt, excuteremus. Nordhula nostra ignem aliquoties ceu θειατον μάστιχα p̄cessa, eodemque superiori anno misericorde devastata, documento esse potest, nihil in rebus humana fixum esse & perenne, sed omnia fragilia, fluxa esse & caduca. Nolo in præsentiarum acerbissimum hoc vulnus retricare, nolo ædis Nicolaitanæ, curiæ, scholæque, excidium, nolo denique tot domorum omni-

(a) de arguta diſ. p. 224.

omnibus rebus refertarum atque exornatarum in emora-
re ruinas: sed dum eodem incendio mecum alii librorum
jacturam fecerunt non omnino comprehendam, hodierno
die, quo per DEI O.-M. gratiam, & Senatus nostri Am-
plissimi munificentiam schola nostra, post excidium renata,
encaenia sua celebrat, ignem ab omni seculorum memo-
ria Cibulanorum & Vulcanum. Muis mansuetoribus nun-
quam non inimicum existisse, paucis demonstrabo.

§ I. Si regum sapientissimus jaen tum sua ætate con-
questus est, nullum faciendi libros esse sinem: quid non
hodie diceret, si redivivus in orbem factus instructissimas
Europæ bibliotecas perlustraret. (*) Tantam enim libro-
rum præcipue his temporibus esse multitudinem, ut fere
ipse orbis immenso hoc pondere gravatus ingemiscat, id
fatentur etiam li, qui alias in contraria opinione consve-
runt. Dum enim cuilibet literatori hodie unguis pruri-
unt, nemoq; famam vel mediocriter docti cueri potest, nisi
nomen suum chartis brevi aut ad tineas blattasque aman-
dandis, aut saltamentario & myropolæ vendendis, illinat:
hinc sit, ut quotidie novæ prodeant auctorum copia, tanto
numero, ut autumni, quem vivimus, injuria non mihi tot
folia arboribus dejicere videatur, quot chartarum folia sin-
gulis nundinis in orbem literatum protruduntur. Lepi-
da, sed verissima hac de re verba sunt viri docti (b); *in cavae,*
inquit, si forent conclusi omnes libri, ut pulli gallinacei, tamen
banc

(*) Ecl. 12. 12. b P. Cunz' Cit. Petr. Poiret de crud. falla p. 609.

hanc pessimam ; opinor, uno anno circumiri : et Aurelium quendam solam Juris prudentiam multorum camelorum onus appellasse, testatur : *natus* Morhoffius. (a) Inter tot ergo voluminum myriadas, quas nunquam non insanabile illud scribendi peperit cacöthes, libros quam plurimos existisse inutiles, imo perniciosos, nemo prudens facile ibit inficias. Qvibus etsi orbis litteratus carere, illorumque jactura per ignem facta non omnino in felix videri potest: dolendum tamen, immitem Vulcanum nullo discrimine salutares libros cum utilibus etnoxiis extirpatum ivisse, & infelix Iolium, sterilesque avenas cum optima monum-mentorum segete absumfisse.

§. 2. Reprehensionem igitur non merentur, sed potius omni laude dignissimi sunt illi, qui olim inter Ephesios divina luce collustrati, libros suos γονιας & incantationes magicas cunctibusserunt. De his Spiritus S. ita loquitur (b): *ικατοι δε των ταπεριεγα πραξαρων, συνεγκατετασθε βιβλια κατηκαιον εραπισταιτων.* i. e. vertente Erasmo: Multe eorum, qui curiosa (*γονιας & τεφατεγιας*) vocatis philosophi) exercuerant, comportatos libros exusserunt coram omnibus. Horum certe in libros pestilentes odium ita laudabile justumque fuit, ut inde gloriam apud omnem posteritatem consecuti sint maximam, eorumque fedulitas in abolendis nefariis scriptis vivet, dum aliquod inter Christianos manebit pietati pretium. Eadem religionis sanctimonia incitati veteres Christianorum Imperatores

(a) de arg. dict. p. 85. (b) A. A. 19. v. 13.

tores hæreticorum scripta flammis tradere solebant; propter ea qvod ob errorum immanitatem, & argumenti fœditatem illa oculis manibusque purioris Ecclesiæ subtrahenda judicabant. Ita Constantinus M. Arii, Arcadius Eunomianorum, Theodosius Nestorii, Martianus Eutychianorum, Ricaredus, Rex Hispanie, Arianorum scripta tanquam fidei & bonarum mentium detimenta flammis exusserunt. (a) Pari ratione Ethnici eos libros qvos JCti improbatæ lectionis appellant, qviue avitæ religioni labem adspergere videbantur, igne combusserunt: Memorabile habet exemplum Valerius Maximus: (b) libros Gracos, inquit, quia aliqua ex parte ad solvendam religionem pertinere existimabantur, L. Petilius, prætor Urbanus ex autoritate senatus per victimarios igne facto, in conspectu populi cremavit. Noluerunt enim prisci viri quicquam in hac adservari civitate, quo animi hominum à deorum cultu avocarentur. Sic a priscis Atheniensibus Protagoræ libri, propterea quod ad aθeotyrta viam sternebant, in foro cremati sunt, sub præconis voce a singulis, qui illos habebant, investigati. (c) Pari ratione optimus Imperator, Octav. Augustus, libros fatidicos, Gentilium idolomanie perniciosos, igne delevit. Ita enim de eo Historicus: (d) Quicquid fatidicorum librorum Graci Latinique Sermonis, nullis vel parum idoneis autoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undi.

(a) Petr. Svaris Hist. Conc. Trid. p. 530. (b) Val. Max. I. i. c. I. §. 12. (c) Diog. Lært. in vita p. 554. Lactantius de ira Dei c. 9. p. 284. (d) Svetonius in Aug. c. 31.

dique, tremavit; ac solos retinuit Sibyllinos. Qvamvis at-
tem libri Sibyllini hoc tempore flamas effugerint, idem
tamen eos mansit exitium. Cum enim jam inde à Tar-
quinii superbi tempore lapideæ arcæ essent inclusi, & suð
templo Jovis Capitolini diligentissime reconditi; ex SCto
in rebus maximi momenti per quindecim viros subinde
consulendi: Syllano tamen tempore A. V. 670. libri hi una
cum capitolio exusti sunt, quam oraculorum jacturam
cum Romani ferrent ægerrime, Sibyllina carmina undique
gentium per legatos exquisita, descriptaque, & restituto
Capitolio reddita sunt a Sylla A. V. 678. & paulo post tem-
plo Apollinis ab Augusto. (a) Tandem in incendio Nero-
niano servati sunt, sub Imp. Honorio tamen a Stilicone
flammis traditi, remanente per traditionem aliquali eo-
rum memoria. Hodie autem quæ circumferuntur Sybil-
lina oracula, non sunt illorum veterum quædam fragmenta-
ta, sed verius suppositi, & pia traude paganis imponen-
tes. Porro Imperator Nero, propodium illud hominis-
ne quid supersticio gentilis detrimenti caperet,
exussit libros *Fabricij Vejentonis*, quibus nomen Codicil-
lorum dederat, multaque & probrofa in Patres & Sacer-
dotes composuerat, Vejentone Italia depulso. Horum in-
stitutum quemadmodum laude sua defraudandum non est;
ita inter Christianos merito atque optimo jure libros eos
igne

(a) *Fabricius Biblioth. Gr.* I. I.c. 39. & seqq. *Langius Histor. phil.*
p. 46.

igne aboleri par erat, qui semina impietatis, atheismi
videlicet, naturalismi, scepticismi & Spinozismi mentibus
indunt, intellectum corrumptunt, & voluntatem depravant. Celebrabitur ergo meritis encomiis *Andreas Naugerius*, nobilis & Poëta Italus, qui quotannis statu die,
Musis sacro, tria Valerii Martialis volumina, tanquam
spurca & impura, cum execratione Vulcano dicavit. (a)
Quod facinus brevibus Gyaris & carcere dignum arbitra-
tur non nemo, qui ea propter Naugerium *atrocem incendi-
arium* vocare non erubuit: (b) Sed utinam omnes docti pari
castimoniae amore flagrarent, ut omnia ista lasciviae &
libidinis monumenta, quibus tot juvenum animi corrumpuntur, in' pulvorem redigerent! Est quidem suus Mar-
tiali nitor, est lepos & acumen: satius tamen hoc sermonis
cultu carere, quam eundem cum praesentissimo ani-
mæ detrimento didicisse. Nam dum pietatis semper mihi
potior ratio, quam sermonis habenda esse videtur: libri illi pestilentes; ex quibus morum depravatio pertime-
scenda est (e. g. Propertii Satyricon, Carmina Priapeja,
Ausonii Cento nuptialis, &c. recentioribus, satyra ista So-
tadica falso Aloysiae Sigae, integerimæ feminæ, adscripta
&c.) flammis æternis mihi videntur dignissimi, etiam si
casto emendatoque sermone aliquod oblectamentum le-
gentibus parere possint.

In:

(a) Paulus Jouius in El. illustr. vir. p. 232. (b) Balb. Bonifacius
in conjecturis in Martialem,

S. III. Iniquiori certe fato libri his multo meliores cremati sunt. In ipsa SS. literarum volumina non numquam ab hominibus sceleratis igne saevitum est. *Jojakim*, *Judas Rex*, *Prophetæ Jeremiæ* volumen, cultello dissectum in ignem projecit. (a) *Antiochus Epiphanes*, *Judæorum ille Phalaris*, libros legis conquiri, & igne aboleri jussit. Iisdem furiis agitati gentiles crudelissime grassabantur in libros S. scripturæ, coelestem veritatem una cum voluminibus destructuri. Ita enim Eusebius: (c) *Nonus Decimus agebatur annus imperii Diocletiani*, mensis *Martius*, & dies solemnis *Pascha* imminebat, cum edita Principis per omnem terram proponebantur, ut cunctæ, que usquam sunt Ecclesiæ, ad solum usque destruerentur, scripture sacrae igni exurerentur. Imo martyres primæ ecclesiæ, quando per ultimos cruciatus lacerabantur, de tradendis S. scripturæ libris fuisse interrogatos, testatur Prudentius, quando Protor gentilis *Vincentium* martyrem ita alloquitur: (d)

*Si tanta callum pectoris
prædurat obstinatio;
pulvinar ut nostrum manus
abomineris tangere;
saltæ latentes paginas
librosque opertos detege,
quo secta pravum seminans
justis cremetur ignibus.*

b

Præ-

- (a) *Jer. 36, 23*, (b) *I. Maccab. I, 59*. [c] *Hist. Eccl. lib. VIII, c. XL*
(d) *Prud. Hymn. V. περὶ σφάγων p. 105.*

Praeivere ergo gentiles laudabili [si dñs placet] exemplo
Papæ Romano , qui non modo in Lutheranos brutum
stringit anathematis fulmen , sed etiam in libros eorum
igne lævire solet. (a) Sic Martinus V.P.R. peculiari diplomate
omnes hæreticorum (ita loquuntur homines vanissimi)
sextas , Wiclefistas & Hussitas , sacrorum communione
privavit , eorum libros flammis adjudicans. (b) Patres Con-
cilii Constantiensis libros eos , quos *Johannes Hus* , præco
ille justitiae inter Bohemos , conscripserat , in publico coe-
meterio exusserunt , Husso , ad fatalem rogum trahendo ,
inspectante. (c) Sic Professores Lovanienses *Lutheri* scripta
flammis tradebant , quo permotus *Lutherus Corpus Ju-
ris Canonici* una cum Papali diplomate Wittembergæ (vor
dem Elster Thore) publice combussit. [d] Eadem rabie Galli
luci Evangelicæ refragantes , acti sunt. *Bercinius* enim ,
nobilis juvenis , cum agnita veritate , tenebras papales
damnasset , ejus libri cremati sunt , & ipse , faucibus an-
tea laqueo fractis , iugis martyrium luit. Ita enim Histo-
ricus : *la Sorbonne poursuivit Berquin à outrance , & comme*
on l' eut mis en prison , il fut condamné à se retracter , voyant
bruler ses livres. Et post pauca : *Berquin fut condamné à*
être pendu , & son corps brûlé (e) In Dania etiam Rex Fri-
dericus II. Formulae Concordiae subscribere gravatus , lib-
rum

[a] Petr. Suavis Hist. Conc. Trid. p. 530. (b) Ziegler in Theatro tempo-
rum p. 793. Arnold H. E. T. I. p. 421. (c) Arnold I. c. Parte II. p. 43. [d]
Hist. du Calvinisme contre Maimbourg P. 216, 217. [e] Arnold. II. E.
Parte II. p. 326.

rum hunc auro & gemmis exornatum, foco assidens in
in ignem misit, licet Lutheranorum sacris esset addictus.^(a)

§ IV. Si porro antiquitatis monumenta evolvimus,
non pauca offerunt sese nobis exempla eorum, qui in cuius-
cunque generis libros nefario ausu, ut atroces incendiarii,
sevierunt. Hi ~~arāvīgōrū~~, quod cum Licinio literas pe-
stem esse Rerump. crederent, libros omnes, si licuisset,
e toto orbe lubentes proscriptiſſent. Hac μυσθιβλία du-
ctus Imperator Sinensium Xius anno ante Virginis par-
tum 237 libros omnes sui imperii, præter medicos & ju-
diciarios cremari jussit, neque iis etiam pepercit, qui de
temporum calculo, & solis lunæque defectionibus age-
bant. (b) Immenſa volumina a tam flagitiosæ ambitionis
tyranno ita deleta fuisse, viris doctis videtur, probabile;
(c) Qua immanitate etiam vetustissimi inter Sinenses phi-
losophi, Confucij scripta perirent. nisi alicujus aniculae
fraude Iaciniæ quædam solerter flammeæ fuissent subtra-
ctæ. (d) Neque mirum inter barbaros nullum pretium es-
se libris bonisque literis. Quid enim cum amaracino sui
& graculo cum fidibus? literæ permulcent ingenita dul-
cedine animos mortalium, homines tranquillos, comes
faciles & mansuetos reddunt. In barbaris autem & ar-
morum usu efferatis gentibus nil, præter formam, hu-
manum

b 2

(a) Rem narrat Arnold, l. c. Part. 5, 226. (b) Cl. Dominus
Algover, Amicus etiumatissimus in Disp. de Mathesi Sinica p.
21. (c) Hubner. Quæst. Hist. T. ix. pag. 622. (d) Martinus
Martini de rebus Sinicis l. vi.

manum est, unde tantum adversus humanitatis instru-
menta dimanavit odium.(a) Hinc Saracenorum post Ma-
hamedem Duces libros quosvis, Alcorano uno excepto,
incendio tradiderunt. Unde tanta! postea inter Arabes
incrementa sumvit ignorantia, ut ii ipsi, qui summo im-
perio præficerentur, quovis asino essent rudiores, nec
literas pingere aut legere nosset, quod testatur Spence-
rus de legibus Hebræorum (b) Arbitrabantur enim virum
fortem & bellicosum non inter literas sed arma versari
debere librorumque lectione masculam illam animi vim
atque robur extingvi. Et hanc ob causam pugnacissima
Gothorum gens extinxit rogam, flammis conceptis jam
undique flagrantem, cui ingentem librorum numerum
jam jam impositura erat, rata, eo se magis hostibus no-
cituram, quo plures iis libros relinquenter, quibus ceu
svauissimo Sirenum cantu sopiti, armorum usum de-
discere paulatim possent.(c) Hispani cum seculis superiori-
bus Americæ orbem incognitum detegerent, imperiti
Monachi vetustissima Peruvianorum monumenta, literis
hieroglyphicis scripta Vulcano obtulerunt, propterea
quod hi ignorantiae fraterculi notas hieroglyphicas pro
Magicis characteribus haberent (d). Quam jacturam li-
bro.

(a) Gvilielmus Saldenus de. libr. usp 276, c. 1. s. c. 2. §. 3. (è Aelianus
var Hist. l. 1. c. 50, Sald. c. 2, p. 30. [d] Morhoff. vol. 4. x. c. v. §. 24.

brorum, unde gentis Americanæ origo repetenda erat; non immerito deplorat celeberrimus Polyhistoris scriptor Morhoffius. Præprimis autem hic Anabaptistarum Monasterieñsium furor notandus est. Cum enim his fanaticis omnia solderent, quæ hominum industria consignata erant, eorum Regulus, Johannes Matthæus cum socio pari commate Knipperdollingio mandavit, ne quis ullum deinceps librum haberet aut sibi servaret, præter S. Biblia reliqua aurem omnia, (a) Sleidano teste, in publicum deterri jussit (quorum pretium 20000 aureorum æstimatum) flammisque consumit. Pari amentia Anonymus quidam, cuius Saldenus meminit, agitatus, suppellestilem omnem librorum, quam pro hominis privati sorte censaque satis amplam habebat. Bibliis S. exceptis, foco accenso, flammis absumendam tradidit. [b] Stultissimos profecto, imo & crudelissimos homines, qui ita in mortuos innocentes desævierunt! an ergo divinarum literarum maiestati derogant libri? an ob aliquorum librorum spurcitiem omnes auctores, Tros Rutulusque tuat, e medio tollendi? M. yvato!

Nemo ideo culpat foecundi fluminis Nili.

Pestifero foetu quoq; Crocodilon alit;

Neque rosam propterea ex hortis & ambulacris abesse iubemus, quod non nunquam illi deformis insidet aranea, & pestilens virus inde sibi colligat. Sed

(a) Sleidanus de statu relig. l. x. p. 521. Cl. Buddeus in disert. de cultura ingenii p. 410. (b) Sald. l. c. p. 204.

V. Sed ut è diverticulo; in quod non
injusta nos traxerat indignatio, in viam redeamus.
Iohannes Leo lib. i. Hist. narrat, (a) libros Græci La-
tinique sermonis per omnem Africam superstitionis ali-
cujus Caliphæ jussu abolitos. Aristotelem Salomonis,
(b) MS&c expiatisse, eaque pro suis venditasse, nugantur
Iudei, eundemque veterum philosophorum libros flammis
abolere tentavisse, quidam arbitrantur, quem tamen ab
hoc crimine liberat Iacobus Thomasius. (c) Nonnulli sui
ingenii foetus igne deformarunt. Sic Metrocles, Philo-
sophus, libros suos combusit, dicens:

Hac somniorum sunt imaginacula. [d]

De Virgilio, qui opus ~~excidos~~ jussérat post obitum su-
um cremari, res pueris nota est. Ita de eo Gellius (e): ita-
que cum morbo oppressus, adventare mortem videret, peti-
vit oravitque a suis amicissimis impensè, ut ~~excida~~, quam
nondum satis climasset, adolerent. Parte ratione Claudi-
us Salmasius, moribundus scripta sua in ignem comice
jussit, eorumque magnam partem ita periisse testatur
perionatus Clarmundus. (f)

Quam-

(a) cit. Morhoffio Pet. l. i. c. v. 5. 29. (b) Joach. Langius Histor
philos. p. 218. (c) De Plagio liter. §. 364. 365. (d) Diog. Lærtius in
vita p. 351. (e) l. 16. c. x. (f) Adolphus Clarmundus in vita Salma-
sii p. 127.

s. VI, Quamvis autem ea ignis sit natura, ut, ali-
menta si suppetant, latius semper spargat incendium, in-
iecta protinus comprehendat, comprehensa autem in
fauillas redigat: non desunt tamen libri, qui a Deo O. M.
instar amicorum Danielis miraculose in igne servati sunt.
Familiam inter eos jure suo dicit ipsa S. scriptura quae in
Episcopi cuiusdam orthodoxi manibus, cum ille i veri-
tatem coelestem contra Arianos demonstraturus, in
ignem saltu se iecisset, illas sa mansit, ipso etiam Episcopo
in mediis flammis miraculose servato. [a] B. Johannis
Arndtii Hortulus Paradisiacus aliquoties ignis rabiem e-
luisit, ut ex præfamine libelle huic præmisso, etiam
in vulgus notum est. Iohannis Spangenbergii, primi apud
Nordhulanos Rectoris &c ad D: Blasii Pastoris, Homicidio
Evangelicæ Deo protégente, ab incendio fuere immu-
nes. (b) Rem narrat Martinus Grindelbach hoc verborum
tenore: se aliquando pernoctasse in oppido quodam: Siles
sive, ibique vidisse Postillam, ut barbaro nomine vocant,
Iohannis Spangenbergii, in qua Pastor loci haec verba
confignaverat: Im Jahr 1633 ist zu N. H. Jungs Tütchens
Haus weggebrannt. Diese des Ioh. Spangenbergs Postill ist
von ihm Junges Tütchen wegen der bey ihm liegenden Goldatchen

unterteilt

(a) Mich. Sachse in der Kaiser Chron. P. II, p. 8. (b) In der Geschichte
Oppeln p. 207.

unter die Dachschäben versteckt / und im Brande wunderlich erhalten/ hernach im Kraum unter den verbrannten Leimen gefunden worden/ jedoch sind die Bretter weggebrant. Ist ein Wunder zu hören und zu sehen. Addit Grundmannus librum hunc Erfordiae a. 1620. typis Nicolai Schmuccii suisse impressum & in rei memoriam hos adjecit versiculos:

*Flamma vorat stipulas, rignos, laquearia Nitschi,
Spangbergi parcit cur ea flamma libro?
Flaminis etherei sunt ista volumina duca
Scripta: DEI verbum flamma vorare nequit.*

B. Ioachimi Luckemanni Homilias Epistolicas MS&tas in incendio Rostochiehs miraculose a Deo servatas meminit Dominus Kortholt. (a) Pari ratione DEI adhuc viventis omnipotentem manum vidimus in supero urbis hujus incendio. Cum enim in vigilis Bartholomaei, a. 1710. vrbi huic denuo luctuosis, etiam ædes Viri Rev. Iohannis Richardi Ottonis, Pastoris ad D. Annæ bene merentis, in cineres essent collapsæ, postridie ejus incendi codex Biblicus ex favillis ardentibus integer protractus est, ceteris libris, qui in eadem mensa domoque fuerant, omnino deletis. Biblia ea sunt formæ quam vocant, octavæ, impressa Luneburgi apud Johannem Stern

[Leia Tractatu domi glüenden eisern Ringe zu Hamburg p. 326.

anno a. 1698. rata integra, tota illa & præter aliquam superioris ligulae partem ab igne aliquantulum ambeſam. Quam velle, Biblia hæc oculis usurpari, manibusque trahari libenter, qui aut ex mentis levitate, aut ex non saturionis ſeculi improbitate ad Atheismum procliver, Dei providentiam in dubium vocant, ne manifestissime hoc diuinae exiſtentiæ indicio convicti, ad ſaniora thema teſte recipient.

VII. Non autem Singula tantum volumina Ignis violencia abſumta ſunt, quemadmodum id ex allatis appetat; ſed quod multo magis dolendum, Bibliothecæ invideñis ſumbris cœgnit, & numero librorum & Mſtorum multiuidine iſignes Vulcano in prædam cefserunt. Ingenteſ hic texere poſtemus harum Catalogum; niſi amissi theſauri memoria dolorem adgravaret; no- riſima ramen ſantum delibabitur. Bibliotheca Alexandrina a Ptolemais Aegypti Regibus instituta, 400000 yolumina, vel ut alii volunt, 700000 continu. it (a). Qvi, numerus priſcis temporibus, nondum typographiæ beneficio detecto, ſtupendus eſt, & omnem fidem humam incedere videtur; ſed ea omnia, inquit Gellius, (b) bello priore Alexandrino, dum diripiſtur ca-

[a] Seneca de gangi, ap. 92, Gell. I. 6. c. 17. [b] Gell. lib. 5. cap. 17.

seitas non sponte neque opera confundet, sed & militibus fortis auxiliariis incensa sunt. Quamvis non nemo sit, qui trecenta adhuc eorum millia ab incendio servata fuisse, affirmavit. (a) Pari calamitate in cineres abiit bibliotheca Capitolina, a Domitiano Imp. instituta & templo Jovis contigua, quæ tempore Commodi fulmine tacta, coelesti igne deslagravit. (b) Quemadmodum & bibliotheca Pacis una cum Palatina conflagrasse fertur, ejusdem Commodo tempore. (c) Nec mitiorem fortem experta est Constantinopolitana, quæ centum & viginti librorum millia comprehendisse dicitur. Cum enim Constantinopolis, quæ erat novus mundus mæritas antiquiorum non tantum mundorum sacerdotum, Turcarum impetu capta esset, hic incomparabilis Orientis thesaurus igne periret. Quam jaeturam calidissimis deplorat lacrymis æneas Sylvius, postea Papa, qui nunquam, inquit, Græco nomini jactura major, quam modo concepit. Xerxes & Darius magnis clibanis Græciam affixere, sed bellum literis non batavere. Romani Græciam in potestatem suam redegerunt; sed Graecas literas ultra amplexi veneratique sunt. (d) Præ omnibus tamen lugeri meretur bibliotheca Budana. Matthias Corvinus, Hungariae Rex, exstruxerat Budæ bibliotheca.

(a) Sald. c. 2. p. 24. (b) Eusebius & Orosius citante Rappolo in
Conf. ad Horat. p. 52. (c) Rapp. L. c. (d) Mich. Neander in
Chronico p. 299

theatrum, cui similem orbis Europaeus non vidit. Erat
hic Poetarum, Oratorum, Philosophorum atque Histo-
riorum vis immensa, erant Auctores Graeci innumer-
abiles, nemini doctorum ante aux paucis omnino vii. Ea
urbis cum anno 1542. in Solimani Humanus pervenisset, hanc
bibliotheca a militibus perdita atque igne deleta est, ma-
gna parte librorum Byzantium, tanquam ad perpetuos
carceres deportata (a). Qvis non totus tremat horreatque,
qui hoc sacrilegium perpendit? profecto cum Iove Ho-
meri (b) quis defilleret, qui cogitaverit
ab annis sepe milicis rabie maiorem calamitatem orbis
literata, quam ab ulla barbarie illatam fuisse. Sed quid
prodest memoriam refricare doloris, qui insanabilis est,
& medicas manus non patitur? sepulti sunt boni hi an-
tores aeterna oblivionis nocte, ex his Orci faucibus nun-
quam in dias Luminis auras protrahendi. Porro Creme-
næ a. 1553. arserunt 12000 volumina Hebraica (c). Jani Gru-
teri bibliotheca magnam partem a militi furibundo info-
co exusta est. Heidelbergensi, cuius Bibliothecarius ille
fuerat, Romam transportata. (d) Quam barbaram eriam
humanitatem Fuldana (e) & Walckenredana (f) bibliothecæ
per-

(a) Conf. Brasicanus Jcti epistola, Salviani operibus praedix.
(b) Dn. Hoffmannus Rector Sch. Francoh. in Progr. ex Lohmeier
de bibliothecis. (c) Churmund, invita Gruteri p. 106. (d) Merhoff
Palyn. (e) Schermius in Chron. Weick. p. 196. P. L. c. V.

'perserunt', quamvis de libris igne absuntis taceret. Eo
tempore Novissimis temporibus Biblioteca complutes in
calamitosissimo incendio Bononiensi die 2 Sepe A.D. 1666 per-
ierunt ut bibliotheca Scorsigii, in qua M&sciorum copia ad
Ximae & bibliotheca Ioh. Bonatini, qui singulari libro jacto-
ram hanc deploresvis (p) Nevelij, Mathematici peritissimi.
Bibliotheca agne absurta est, eiusque locutribus & mo-
chinc cum incomparabili rei Mathematicae datum non peric-
tunt (p). Et quis foret finis, si omnia perirent, ex ampli
hinc & inde facta commemorare velle posset? Quem seruit
huic indulgere doleri, consolans Domini Spizellii Arca-
na bibliothecarum, & repertis plures tortuoso libri ex
ignis violentia atque casibus perisse, quam hodie aliisque
in eruditorum thuseis conspicuntur.

3. VIII. Quando ergo deformis iste veneris mastus
Vulcanus inquam, Musis nunquam aiori intensius emulit,
quid est, quod mecum alii huic librorum heluom diras
ingetere velint? Constituta facit, & quamvis nonnunquam
eum inter & Musas videantur facta iudicet, semper ta-
men redit ad ingenium. Et quemadmodum fluvius in
plures alveos divisus, non solum vada aperit, sed tandem
etiam exsiccatur: ita calamitas, quae ad plures redunda-

Morph. Polyh. L. I. c. v. 5. 25. 26) Morph. L. C.

vit, levior sit, & in comitatu seferia lacrymæ cito ex-
tuscunt. Vos ergo, qui in pupero incendio mecum libra-
riam jacturam fecistis, cogitate, quot & quantæ biblio-
thecæ cum nostra curta librorum supellectili nullo modo
comparandæ, iverint pessum. Non soli sumus, quorum
libros flamma voravit. Muniamus ergo pecus nostrum
panteria, & DEVM O. M., quo zuctore hæc mala eve-
neriam, fine munitura veneremur. Placuit ita coelesti
Patri, cui ego me submittam, feramque, quod emenda-
re non possum.

Τλησομα, ει σύνθετο οχητ, ταλαπονδία θυμός.

DEUS ille, qui hæc abstulit, ὅλα Συλλαχα meliora reddere
potest. Scholam reddit phoenicis instar è cinere for-
enosius resurgentem, qvidnt idem DEVS amissos reddat
liberos. Spes hæc sacra nititur anchora, quæ fretus non de-
spondebo animi mutu.

quævis licet
Orbem tumultus, terraque sedibus
Convulsa, montium ruinis

Arctet aquas pelagi frementes.

. I. X. Ceterum dum Helicon noster, in quo superiori ap-
no nil nisi lugubres lessus, næniae & præficularum luctus
audiebantur, crastino die abieetas iterum sonare docebit
citharas; quo MAGNIFICVS REIPUBLICÆ NORD-
V SANÆ MAGISTRATVS Athenæum nostrum so-
lemni

legem dei DEO O. M. deditari acrisque iustitiae ad haec
publica sacra, quae vir lumine REVERENDVS, Dr. Joha-
nes Nicolaus ROHRMANNVS, SS. Ministerii apud nos Pri-
marius, S. Consistorii Assessor, Scholæque Inspector præ-
clarissime meritus, piis votis precibusque auspicabitur,
omnes omnium ordinum viros honoratos, bonisque li-
teris faventes, ea qua decet, observantia humanissime
invito, obnixe rogans, ut benvola præsentia Musas no-
stras squalido quasi carcere satis diu detentas, nunc au-
tem in lucem adspectumque prolatas reficere atque re-
creare velint. Ipse ego postquam dixero, de causis, quæ juven-
tuti, quo minus in publicis scholis ad veram sapientiam
perveniat, obstatculo sunt, producam quinque nigrorum
nostrorum alumnos, juvenes vitæ integritate, morum pro-
bitate, & doctrinæ præstantia ornatissimos, qui, ut virio-
rum suarum in celebritate facerent periculum, modeste
petiverunt. Horum

L. Christianus Ernestus Gottschel. Nordh. Perorabit de
scholarum inter Hebraeos, Graecos & Christianos
origine.

II. *Hanns Fredericus Schmidlin*. Bockelhagen-Che-
rucus. Extoller Scholarum in Rep. utilitatem, ac
necessitatem.

III. *Gottlieb Vitalis Rohrmann*. Nordh. disquireret, utrum
præstet domini, an in scholis publicis ad sapientiae de-
cuss perducatur.

IV. *Johannes Gottlieb Weber*. Nordh. Magistratus, Ephoriam
Collegio Scholastico, ut & alumnorum coronas
gratulabitur de Schola instaurata.

V. *Andreas Jacobus Hoffmann*. Nordh. Lettabitur de felici-
tate Schole, & Carolo III, Hispaniarum REGI,
ad imperioriam maiestatem evecto gratulabitur,
etiam Carolo M, comparatus,

Noe

Mos quantum precibus & oblationis possumus, Musarum nostratum Patronos rogamus atque obtestamur, ut crastino die, sacris publicis in æde D. Nicolai finitis, in supremo lycei nostri acroaterio confluant, & de hinc honestissimis rebus oraturos pro usitata benevolentia audiamus. Sic crastinæ solemnitati splendor, rei scholasticæ ornamenti, & nostris tironibus calcar ad majores ausus addetur, Scrib. Nordhusæ d. 29 O. & A. O. R. c. 10 100 XI.



Cen.

(1)

Cento Virgilianus

de
Incendio Nordhusano.

Qua regio in terris (*a*) divini gloria ruris (*b*)
Fundit humo facilem. victum, justissima tellus; (*c*)
Hic gelidi fontes (*d*), & fertitis ubere campus. (*e*)
Eic ver purpureum, varios hic flumina circum
Fundit humus flores (*f*) nudoque sub aetheris axe (*g*)
Hic formosus oves ad flumina pavit Adonis (*h*)
Iis locus, urbis, (*i*) vbi gentis cuuabula nostræ [*k*]

Guldena-
via vici-
na nostra
Nordhus.

NORDHUSÆ situs.

Urbs antiqua fuit (*l*) multos dilecta per annos (*m*)
Fronte sub adversa (*n*) saltus & Iustra ferarium. (*o*)
In cibis crebris sacra nemus accubat umbra. (*p*)
Mons circum (*q*), cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur & imbri. (*r*)
Parte alia (*s*), apricis coquitur vindemia saxis (*t*)
Dives opum (*u*) dives pictai vestis & auri (*v*)
Hic fokus, & tædæ pingues, hic plurimus ignis (*x*)
Ingentem coelo sonitum dedit, inde secutus (*y*)

der Kohn
stein.
der Hang.

A.

Tiget

-
- (*a* Æn. libr. I. v. 464. [*b* Georg. I, 168. (*c* G. II, 460. (*d* Ecl. X, 42.
(*e* G. II, 182. [*f* Ecl. ix, 40. (*g* Æ. II, 512. (*h* Ecl. ix, 18. (*i* Æ. III,
393. (*k* Æ. III, 150 (*l* Æ. I, 16. (*m* Æ. IX, 35. (*n* Æ. I, 170. (*o* G. II,
471. (*p* G. III, 334. (*q* Æ. XII, 929. (*r* Æ. IV, 249. (*s* Æ. VIII, 686.
(*t* G. II, 522. (*u* Æ. I, 18. (*w* Æ. IX, 26. (*x* Ecl. VII, 49. (*y* G. II, 306.

Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvit, exsuperant flammæ, furiit (a) & ruit atram.
Ad coelum picea crassis caligine nubem. (b)

Incendium nocte concubia exortum.

Nox erat, & terris animalia somnus habebat (c)
Atque fere mediam coeli nox humida metam
Contigerat (d), placidum carpebant fessæ loporem
Corpora per terras, (e) pecudes, piæque volucres: (f)
Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum (g)
Cum sonitu venit, & ruere omnia vila repente (h).
Quique (i) sedet custos aut summi culmine templi,
Turribus aut altis (k) signum, cornuque reurvo,
Intendit vocem (l): per moenia clarior ignis
Auditur, (m) furit immisso Vulcanus habenit. (n)

Terror & trepidatio civium.

Hoc fletu concussi animi, (o) vox faucibus hastit. (p)
Vota metu duplicant, (q) subito vulgata per urbem
Fama volat, (r) magisque urbem terroribus implet. (s)
Ferio cisis (t) manibus lymphas (u), succurrite fessis, (v)
Præcipitate moras (x), extingueret fontibus ignes (y)

Pas

(a) AE. II, 758 (b) G. II, 309. (c) AE. III, 147. (d) AE. V, 835. (e) AE. IV,
522. (f) AE. IV, 525. (g) AE. II, 313. (h) AE. VIII, 529. (i) G. I, 21. (k)
AE. IV, 186. (l) AE. IX, 536. (m) AE. II, 705. (n) AE. V, 662. (o) AE. IX,
497. (p) AE. IV, 280. (q) AE. VIII, 556. (r) AE. VIII, 554. (s) AE. XI, 448.
(t) AE. IV, 594. (u) AE. I, 705. (w) AE. XII, 336. (x) AE. VIII, 443. (y) AE. II, 686.

Fas & jura finunt (*a*). Quæ vox, ut venit ad aures, [*b*]
 Tollitur in coelum clamor (*c*), moestusque per omnes
 It gemitus (*d*), fūlsero ignes & conscius æther. (*e*)
 Exoritur trepidos inter discordia cives,
 Urbem alii referare jubent (*f*), pars claudere portas. (*g*)
 Discurrent alii (*h*), querit pars semina flammæ
 Abstrusa in venis silicis (*i*); per dura cucurrit
 Osca tremor [*k*] gelidusque coit formidine sanguis (*l*)

Ardor civium, studiumque flammus extingueendi.
 Nec minus interea [*m*] pueri innuptæque puellæ (*n*)
 Accipiunt inimicum imbræ (*o*) fluvialibus undis (*p*)
 Nec mora, nec requies (*q*) mens omnibus una sequendi (*r*)
 Pro se quisque viri summa nituntur opum vi (*s*)
 Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsis
 Nituntur gradibus (*t*) turres ac tecta domorum
 Culmina convellunt (*u*) operum labor omnibus unus [*v*]
 sed non idcirco flammæ atque incendia vires
 Indomitas posuere; (*x*) ignes ad tecta volare (*y*)
 Plurima, perque vias (*z*) hominumque urbisque labores
 Defessi adspicimus, (*aa*) nec spes opis ulla dabatur. (*bb*)

B.

(*a*) G. I, 269. (*b*) Æ. II, 119. (*c*) Æ. XII, 462. (*d*) Æ. IX, 496. (*e*) Æ. IV, 168. (*f*) Æ. XII, 583. (*g*) Æ. XI, 883. (*h*) Æ. XII, 577. (*i*) Æ. VI, 5. (*k*) Æ. VI, 54. (*l*) Æ. III, 50. (*m*) Æ. VI, 212. (*n*) Æ. II, 238. (*o*) Æ. I, 157. (*p*) Æ. IX, 79. (*q*) Æ. XII, 553. (*r*) Æ. X, 128. (*s*) Æ. XII, 552. (*t*) Æ. II, 442. (*u*) II, 445. (*w*) G. IV, 184. (*x*) Æ. V, 680. (*y*) Æ. XII, 596. (*z*) Æ. II, 364. (*aa*) Æ. II, 284. (*bb*) Æ. I, 893.

(4)

Bonorum justitia.

Tum vero ingeminat clamor, (a) congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateris olivo, (b)
Dona laborata Cereris (c) portantur avari
Pygmalionis opes (d), aurique eborisque talenta. (e)
Corripuit (f) pallam signis autoque rigentem, (g)
Et picturatas auri sub tegmine vestes. (h)
Nec prius absistit (i) Vulcanum spargere testis (k)
Luminibus flamma arrestis (l), quam clarior ignis (m)
Perque domos (n) viator, perque alta cacumina regnat. (o)

TURRIS NICOLAITANÆ deflagratio.

Turris erat vasto suspectu (p) altissima visu (q)
Hanc ex diverso (r) tunc flamma furentibus Austris (s)
Occupat (t), ingeminant curæ, rursusque resurgens (u)
Ter flamma ad summum testi subiecta reluxit. (v)
Horresco referens (x) stat ferrea turris ad auras (y)
Sed manet insontem gravis exitus, (z) ardua saxis (aa)
Volvitur in caput (bb) & concusso vertice nutat, (cc)
Ad terram non sponte fluens (dd): illabitur urbi (ee)
Congémuit, traxitque jugis avulsa ruinam. (ff)

Temp.

(a) Aen. V, 227. [b] AE. VI, 225. [c] AE. III, 181. [d] AE. I, 369. [e] AE. XI, 334.
[f] AE. I, 192. [g] AE. I, 652. [h] AE. III, 483. [i] AE. I, 196. [k] AE. VII, 77. [l]
AE. II, 173. [m] AE. II, 705. [n] AE. II, 365. [o] G. II, 307. [p] AE. IX, 530.
[q] AE. VIII, 234. [r] AE. II, 716. [s] Aen. II, 304. [t] G. IV, 440. [u] Aen.
IV, 522. [w] G. IV, 385. [x] Aen. II, 204. [y] Aen. VI, 554. [z] Aen. X, 621.
[aa] Aen. VIII, 417. [bb] Aen. I, 120. [cc] Aen. II, 629. [dd] Aen. II, 828.
[ee] Aen. II, 240. Aen (ff) II, 631.

(5)

TEMPLI NICOLAITANI incendium.

Diverso interea miscentur moenia lucis.^a

Dum curæ anbiguez, dum spes incerta futuri. (b)

Præterea fuit in tectis de marmore TEMPLVM, (c)

Tequum augustum, ingens, centum sublime columnis [d]

Ignis ubi in medio (e) primum sub cortice tectus

Robora compendit (f) late loca sulphure fumant (g)

Fit strepitus tectis (h), media testudinè templi (i)

Jamque faces & saxa volant; (k) crudelis ubique

Luctus, ubique pavor, (l) dant clara incendia lucem [m]

Nos pavidi trepidare metu, (n) veniamque precari (o)

Vocibus his: [p] quem das finem, Rex magne, laborum? [q]

Poenarum exhaustum satis est, [r] miserere laborum

Tantorum, miserere [s]: ast nullis ille movetur

Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit[^ts]

CURIÆ incendium.

Sed fugit interea (u), fugit ilicet ocyor Euro, (w)

Par levibus ventis [x], viresque acquirit eundo, (y)

Involvens umbra magna terramque polumque, (z)

Est domus alta, [^{aa}] forum & patribus dat jura vocatis [bb]

Perpetui hic soliti patres considere mentis. [cc]

A 3

Jun

-
- [a] Aen. II, 298. [b] Aen. viii, 580. [c] Aen. IV, 457. [d] Aen. VII, 171. [e] G. II, 528. (f) G. II, 304. [g] Aen. II, 698. [h] Aen. I, 729. [i] Aen. I, 509. [k] Aen. I, 154. [l] Aen. II, 368. (m) Aen. II, 569. (n) Aen. II, 685. (o) Aen. III, 144. (p) Aen. ix, 83. (q) Aen. I, 245. (r) Aen. IX, 356. (s) Aen. II, 143. (t) Aen. IV, 440. (u) G. III, 283. (w) Aen. VIII, 223. (x) Aen. IV, 702. (y) Aen. IV, 175. (z) Aen. II, 251. (^{aa}) Aen. x, 126. (^{bb}) Aen. y, 758. (^{cc}) Aen. viii, 170.

Jura magistratusque legunt, sanctumque Senatum. [e]
 Ita m omnis teatis, agrisque effusa juventus
 Turbaque miratur matrem [b] nunc vulnus acerbum [e]
 Infelix. (d) multaque accepit rimosa paludem. [e]
 Spargit [f] commixtam Vulcanus ad astra favillam. (g)
 Limina perrumpit, postesque a cardine veilit, (h)
 Nec requierit enim, donec i) dedit ampla ruinam. (k)

Flamme violentis ulterius progredivs.

Mis agitur furiis (l) scelerata insanis [m] flammz, [n]
 Sevit & in lucem stygiis emissis tenebris. (o)
 Volvitur ater odor teatis, (p) it clamor ad alta
 Atria (q) faxa sonant, vacuas it fumus ad auras. (r)
 Jamque catervatim dat stragem (s) accensa furore (t)
 Et totam luctu concussit funditus urbem. (u)
 Non aliter, quam si immensis ruat hostibus omnis
 Carthago, aut antiqua Tyrus; (w) non fulmine tanti
 Dissultant crepitus (x), murali concita nunquam
 Tormento sic faxa tremunt, (y) & viscera montis: (z)

Quam

[e] Aen. I, 430. (b) Aen. VII, 812. (c) Aen. XI, 823. (d) Aen. XII, 270. (e)
 Aen. VI, 414. (f) Aen. VI, 636. (g) Aen. IX, 76. (h) Aen. II, 480. (i)
 Aen. II, 100. (k) Aen. II, 310. (l) Aen. XIII, 102. (m) Aen. VII, 461. (n)
 Aen. VI, 6. (o) G. III, 551. (p) Aen. XII, 590. (q) Aen. IV, 665. (r) Aen. XIII,
 592. (s) G. III, 556. (t) Aen. IX, 688. (u) Aen. XI, 564. (w) Aen. IV, 660
 (x) Aen. XII, 922. (y) Aen. XIII, 921. (z) Aen. III, 575.

(7)

Quam multa in tectis crepitans a) à vertice flamma
Funditur b), eructans liquefactaque faxa sub auras. c)

SERENISSIMI PRINCIPIS SCHWARTZBURGICI

ad urbem adventus.

Hos inter motus, medio flagrante tumultu, (d)

PRINCEPS ante omnes e) summa decurrit ab aree, (f)

Nobilis, & fama multis memoratus in oris. [g]

Ingrediens h) magna juvenum stipante caterva, (i)

Os humerosque DEO similis k), quem Thracius albis

Portat equus bicolor maculis l) longo ordine matres

Stant circum m) tristes, & tunise pectora palmis. (n)

Conclamant o): O fama ingens, ingentior armis, (p)

DIS genite, & geniture DEOS (q) miserere laborum, (r)

Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos. [s]

Funditus occidimus t) ruit alto à culmine Troja] [t)

ILLE regit dictis animos, & pectora mulcit. (v)

Conspicit ingentem x) in nimbo volitare favillam, (y)

Multa gemens z) sortemque animo miseratus iniquam (aa)

Auxilioque levare viros [bb], lenire dolentes

803

-
- [a] G. I, 449. [b] Aen. X, 270. [c] Aen. III, 576. [d] Aen. XI, 225.
[e] Aen. IV, 833. [f] Aen. II, 41. [g] Aen. VII, 564. [h] Aen. VIII, 309.
[i] Aen. I, 501. [k] Aen. I, 593. [l] Aen. V, 565. [m] Aen. II, 766. [n] Aen. I,
485. [o] Aen. X, 738. [p] Aen. XI, 124. [q] Aen. IX, 642. [r] Aen. II, 143.
[s] Aen. II, 363. [t] Aen. XI, 413. [u] Aen. II, 290. [v] Aen. I, 157. [x]
Aen. V, 611. [y] Aen. V, 666. [z] G. III, 326. [aa] Aen. VI, 332. [bb]
Aen. II, 452.

Solando cupit, & dicas avertere curas. (a)
 Talibus attonitus [b] fatis, urbisque ruina (c)
 Ipse inter primos (d) oculos per singula vertit (e)
 Nunc hos, nunc illos aditus, urbemque pererrat [f]
 Lustrat equo muros, aditumque per avia querit; (g)
 At non tardatus casu, neque territus heros, (h)
 Instat vi patria Patres (i), seque ipse per ignem
 Precipiti jecit saltu (k) tumi catena pubes [l]
 Exitiis positura modum [m] vestigia pressat. [n]
 Haud mora, festinant iussi, rapidisque feruntur
 Passibus (o), aspirat primo fortuna labori. (p)
 Verum ubi nulla datur coecum exsuperare potestas (q)
 Exitium (r), glomeratque ferens incendia ventrus [s]
 Ingemit. & duplices tendens ad fidera palmas, (t)
 Frangimur, heu, fatis, inquit, ferimurque procella! [u]
 Vidimus [v] excidiis urbem, miserisque penates (x)
 Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari [y]
 Non opis est nostra (z), santon superare labores (aa)
 Ultricis flammaz (bb); verum inclemens divum
 Has evertit opes (cc), totamque a sedibus urbem

eruir

- (a Aen. iv, 395. (b Aen. III, 172. (c Aen. XII, 610. (d Aen. XI, 579.
 (e Aen. VIII, 618. (f Aen. v, 441. (g Aen. IX, 58. (h Aen. V, 453.
 (i Aen. II, 491. (k Aen. 256. (l Aen. VII, 614. (m Aen. VII, 129. (n
 Aen. VI, 197. (o Aen. VII, 156. (p Aen. II, 385. (q Aen. VII, 591. (r Aen.
 XII, 761. (s G. II, 311. (t Aen. I, 97. (u Aen. VII, 594. (v Aen. XI, 397.
 (x G. II, 505. (y Aen. VII, 76. (z Aen. I, 605. (aa Aen. III, 368. (bb
 Aen. II, 587. (cc Aen. II, 602.

Eruit [a]; agnosco veteris vestigia flammæ. (b)
 Dixerat hæc (c): atque acer equo turbata reliquit (d)
 Moenia (e). Nos vano moesti comitamur honore: (f)
 I, decus, i, nostrum, melioribus utere fatis, (g)
 Semper honos, nomenque Tuum; laudesque manebunt. (h)

Agricolarum ex vicinia ad urbem confluxus.

Aurora interea miseris mortalibus aliam
 Extulerat lucem [i], & pavidos terrebat agrestes (k)
 Ilicet ignis edax [l], caligine turbidus atra. (m)
 Indomiti agricolæ (n) concurrunt undique telis (o)
 Agrestisque manus (p) properans adventat ad urbem (q).
 Mirantur portas strepitumque (r) & rara domorum
 Teæta vident (s), cum quæ fortuna sit urbi (t)
 Suspiciunt: iterum atque iterum tragor intonat ingens [u]
 Idem omnes simul ardor habet. rapiuntque, ruuntque [v]
 Illi inter se magna vi (x), teæta domorum
 Culmina convellunt (y) liquidos dant ordine fontes (z)
 Accingunt omnes operi (aa); semiusta madescunt
 Robora (bb), collecti coëunt [cc]; succurrere teædis (dd)
 Hoc opus, hic labor est (ee), opere omnis semita fervet (ff).

Civium ex urbe abitus in vicina loca.

At fessi tandem cives (gg) fatisque repulsi, (bb)
 Si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui. (ii)
 Atque ea (kk) vi superum (ll) fatis urgetur acerbis: (mm)

b

Saxa

(a AE. II, 612. (b AE. IV, 23. (c AE. XI, 132. (d AE. V, 669. (e AE. XII,
 206. (f AE. XI, 52. (g AE. VI, 546. (h AE. I, 612. (i AE. XI, 182. (k
 AE. VIII, 349. (l AE. II, 758. (m AE. XI, 876. [n AE. VII, 521. (o AE.
 VII, 520. (p Aen. XI, 678. (q AE. XI, 510. (r Aen. I, 426. (s AE. VIII
 70. (t Aen. I, 458. (u AE. VIII, 527. (w AE. IV, 581. (x G. IV, 174. (y
 AE. II, 445. (z G. IV, 376. (aa AE. II, 235. (bb AE. V, 697. (cc AE. VII
 582. [dd AE. II, 451. (ee AE. VI, 129. (ff AE. IV, 407. (gg AE. VIII, 493
 (hh AE. II, 13. (ii AE. II, 659. (kk AE. IX, 1. (ll AE. I, 4. [mm AE. X, 583]

Saxa pet, & scopulos, & depresso convales
 Diffugiunt [a], densaque ad muros mole feruntur. [b]
 Egressi superant fossas [c], lucet via longo
 Ordine flammorum, & late discriminat agros [d]
 Tum pavida testis matres ingentibus erant,
 Amplexaque tenent postes [e], circum opera matris [f]
 Districti pendent [g], duri solatia casus. [h]
 Ast illæ [i], dum se glomerant [k], velut agmine facto,
 Qua data porta tuunt [l], pedibus timor addidit alas [m],
 Qui celerate fugam, patriaque excedere suadet. [n]
 Ergo iter incepsum celerant [o], ex urbe ruentes, [p]
 Exilioque domos, & dulcia limina mutant [q].
 Pars [r] adscendebant collem, qui platus urbæ.
 Intiminet, adversaque adspectat defuper arces. [s]
 Pars autem [t] (neque enim fuga jam super ulta pericli est) [u]
 Dona laborat Cereris [v], Cerealiaque arma
 Expediunt fessi terum [x] fusisque per herbam [y]
 Lenibant curas, & corda oblita laborum [z].
 Venturæque hiemis metores [aa], gelidæque prouina [bb]
 Admovere focis ulmos, ignique déderé [cc]
 Nulli certa domus [dd], vivoque ledilia lasso. [ee]

Zilia Phœbæ & edificii Scholastici defragratio.

Inter ea medium [ff] concenderat igneus orbem [gg]
 Sol, qui ferrarum flammis opera omnia lastrat. [hh]
 Non tamén abstinuit [ii] crèpitantibus ture flammis [kk]
 Urbis opus [ll] plausuque volat freniliisque secundo. [mm]

[a] G. III, 276. [b] Ae. XII, 575. [c] AE. IX, 374. [d] XI, 144. [e] AE. II, 490.
 [f] AE. VIII, 54. [g] AE. VI, 617. [h] AE. VI, 277. [i] AE. V, 676. [k] AE.
 IX, 539. [l] AE. I, 87. [m] AE. VIII, 224. [n] AE. I, 391. [o] AE. VIII, 90.
 [p] AE. IV, 401. [q] G. II, 511. [r] AE. VI, 268. [s] AE. I, 423. [t] G. II, 14.
 [u] AE. VIII, 221. [vv] AE. VIII, 181. [x] AE. I, 181. [y] AE. I, 218. [z] AE.
 IV, 528. [aa] G. IV, 156. [bb] G. II, 263. [cc] G. III, 378. [dd] AE. IV, 673. [ee]
 AE. I, 171. [ff] AE. V, 1. [gg] AE. VIII, 97. [hh] AE. IV, 607. [ii] AE. II, 534.
 [kk] G. I, 95. [ll] AE. V, 124. [mm] AE. V, 338.

Est in secessu (*a*) foribus idemus alta superbris [*b*]
 Relligione patrum multos servata per annos [*c*].
 Hanc multos florentem annos [*d*] sacer ignis edebat [*e*]
 Vestibulum ante ipsum [*f*] ramis felicibus arbos
 Exiit ad coelum [*g*]), atque umbra complexa penates [*h*]
 Sacra comam, multosque metu servata per annos. [*i*]
 Ipsa ingens arbos (*k*) olim venerabile lignum [*l*]
 Intemerata focis [*m*] flamas despectat vantes (*n*),
 HEU nihil invitatis quenquam fidei divisi! (*o*).
 Namque ut conspectu in medio (*p*) jam proximus ardet
 Vcagon (*q*), propiusque estus incendia volunt: [*r*]
 Tum primum [*s*] stetit illa tremens (*t*), immissa repente fu
 Lambere flamma cornas, & eircum tempora pasci. [*u*]
 Verum etiam (*x*) ignis edax (*y*) non inferiora feceris [*z*]
 Altior insurgens (*aa*) frondesque elapsus in altas [*bb*]
 Per ramos victor, perque alta catumnia regnat. (*cc*).
 Tunc vicina astris (*dd*), quæ quantum vertice ad aures
 Aetherias, tantum radice in Tartara tendit; [*ee*]
 Ad terram defluxit (*ff*) inops, inhumataque [*gg*] & alte
 Consernunt terram, concusso stipite, frondes, (*hh*).
 Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras. [*ii*]
 Jamque faces ad testa volant (*kk*), subitoque fragore (*ll*).
 Ignem (*mm*) summa super labentem culmina testi

Die
Schuls
Ende.

Cer.

- (*a* AE. I. 163. (*b* G. II. 461. (*c* AE. II. 715. (*d* AE. VIII. 481. [*e* G. III. 566
 (*f* AE. II. 469. (*g* G. II. 81. (*h* AE. II. 514. (*i* AE. VII. 60. (*k* G. II. 131. (*l*
 AE. VII. 767. (*m* AE. III. 178. (*n* AE. X. 409. (*o* AE. II. 402. (*p* AE. II. 67.
 (*q* AE. II. 311. (*r* AE. II. 706. (*s* AE. VIII. 222. (*t* AE. II. 52. (*u* AE. X. 40.
 (*vv* AE. II. 684. (*x* G. III. 663. (*y* AE. II. 858. (*z* AE. VI. 170. (*aa* AE. XII.
 902. (*bb* G. II. 305. (*cc* G. II. 307. (*dd* AE. IV. 759. (*ee* AE. IV. 445. (*ff*
 AE. XI. 501. (*gg* AE. VI. 325. (*hh* AE. IV. 444. (*ii* AE. XII. 952
 (*kk* AE. XII. 656. (*ll* AE. II. 692. (*mm* AE. 170.

Cernimus (a), ardet apex [b] Phoebez lampadis iustar (c)
 At me tum primum! s̄evus circumstetit horror; (d)
 Arrestaque horrore comz. & vox faucibus hæsit. [e]
 Implevi clamore vias [f.] plangoribus ædes: (g)
 Talia vociferans (h): Mea sera & sola voluptas, (i)
 Et prædulce decus (k), nimium crudele luctu
 Supplicium [l]! tantæne animis coelestibus irae? (m)
 Quem fugis? ah! (n) quis te nostris eomplexibus arcet? (o)
 Siste gradum, teque adspicu ne subtrahe nostro (p,
 O pater omnipotens (q) precibus tuis flecteris ullis (r)
 Respice ad hæc (s), miserere domus labentis [t] ab alto [u]
 Et tu, oro, solare inopem, succurre relicta [vu;
 Ipse tibi ad tua tempia feram solemnia dona [x]
 Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra (y).
 Talia fundebam lacrymans, longosque ciebam
 Incassum fletus (z), lacrymæ volvuntur inanes, (aa)
 Nec vires heroum, infusaque flumina prosunt [hb].
 Sed tamen iste Devs [cc] coeli qui sidera torquet (dd)
 Ad fuit, & (ee) coelo tandem miseratus ab alto est. (ff)
 Hinc ubi jam (gg) toto descendit corpore pestis, [hh]
 Et direpta domus (ii), gemitumque dedere cavernæ: (kk)
 Vulcani (ll) gravis ira & inexsaturabile peccus (mm)
 Conticuit tandem, factoque hic fine quievit. [nn]

[a] AE. II, 695. [b] AE. x, 270. [c] AE. III, 627. (d) AE. II, 595. (e) AE. XII, 868
 (f) AE. II, 770. [g] AE. XII, 607. [h] AE. x, 651. (i) AE. VIII, 581. [k] AE. XI,
 155. (l) AE. XL, 841. (m) AE. I, 15. (n) Ecl. II, 60. (o) AE. V, 742. (p) AE. XI,
 465. (q) AE. XII, 178. (r) AE. II, 689. (s) AE. VII, 454. [t] AE. IV, 318. [u]
 AE. VII, 704. [vu] AE. IX, 290. [x] AE. IX, 627. [y] AE. I, 338. (z) AE. III,
 344. (aa) AE. IV, 449. (bb) v. 684. [cc] Ecl. I, 19. (dd) AE. VIII, 141.
 (ee) AE. X, 143. (ff) AE. V, 727. (gg) G. IV, 58. (hh) AE. V, 683. (ii) AE. II,
 563. (kk) AE. II, 53. (ll) G. IV, 346. (mm) AE. V, 781. (nn) AE. III, 718.